



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

65. An licitum sit se exponere ludo periculo manendi mancipium in  
treremibus? Ex p. 7. tr. 7. r. 43.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

# De Seruis, seu Mancipiis. Res. LXV. &c. 455

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Portel in *Dub. Reg. V. sepultura. n. 6.* Paiqualig. *Dec. 381. n. 7.* quia in spiritualibus dominus non habet potestatem super seruum. At hæc opinio procedit si seruus pubes sit, nã tunc potest eligere sepulturam, sed quid, si non eligit sepulturã. Respondeo quod dominus potest eligere, si neque is elegerit, sepeliendus est sepultura Parochiæ in qua dominus domicilium habet. Pro seruo tamen impobere dominus eligere potest sepulturam. Et hæc omnia ex Vbaldo docet Laurorius in *Elucubr. var. tit. 2. c. 1. n. 1. 46.* qui etiam c. 16. n. 29. notat quod dominus tenetur facere expensas circa funus serui.

## RESOL. IX.

*An licitum sit se exponere ludo cum periculo manendi mancipium in treuibus?* Ex p. 7. tr. 7. Res. 43.

§. 1. **S**uprà dictum est liberum esse cuique se ipsum pro seruo vendere egestatis causa: nunc quæro, an licitum sit alicui seipsum lucrì, & quæstus causa vendere? Alicubi est via receptum, vt quidam ætate, & viribus valentes alea ludant ea lege & conditione, vt ducti, seruituti tradantur ad remigandum in treuibus, quod si victores euaserint, pecuniã expositã ludo sibi comparent: & solet Republica, aut Magistratus huiusmodi conditionis hominibus pecunias ac ludẽdũ tradere. Scribit Tacitus in *libello de moribus Germanorum*, apud eos hunc morem fuisse. *Aleam*, inquit, (quod mirere) sobrii inter seria exercent tanta laetandi, perdendiue temeritate, vt cum omnia deseruerint, extremo, ac nouissimo iactu de libertate, & de corpore contentantur: victus voluntariam seruitutem adit; quamuis inuincior, quamuis robustior aligari se, ac venire patitur: ea est in re fræna perniciaci, fidem ipsi vocant. Hæc tenus ille.

2. Dubitari non potest quin peccet is, qui seipsum sine vlla iusta causa vendit: nam est prodigus suæ libertatis venditor. Peccat itidem is qui cum aliquo suæ vitæ periculo se vendit causa lucrì. Ex quo fit, vt cum vita remigum fuerit, aut mortis periculo, aut peccatis obiecta non liceat alicui se ad remigandum vendere: Si verò id vitæ genus his malis caruerit, non video cur sit lethalis peccati condemnandus is, qui seipsum lucrì causa aleæ ludo exposuerit: nam quamuis libertatem periculo obiciat, lucrum nihilominus (vt plerisque cõtingit,) sibi potest acquirere: hoc tamen locum habere puto solum quando hoc non est, cum graui detrimento familiæ, vel propinquorum, vel aliorum. Et hæc omnia docet Azor, *tom. 2. lib. 2. cap. 3. 1. quest. 3.*

3. Ego autem consultus in facti contingentiã ab Excellentissimo Duce Alcalensi tunc Siciliae Prorege, respondi hoc esse admittendum à Principibus duabus conditionibus concurrentibus; Primò quod hoc efficiatur propter necessitatem publicam, vt quando armadæ essent treuemes, & mancipia sufficientia, aliique remigantes non adessent. Secundò vt ad talem ludum rã admittantur personæ, quæ, vt dixit Azorius, graue detrimentum suæ familiæ afferrent. Tertio vt euentur periuia, blasphemia, &c.

## RESOL. LXVI.

*An serui possint à Domino castrari ad suauitatem vocis conseruandam, si ipsi consentiant?*  
Et an liceat alicui non seruo ad vocis suauitatem conseruandam hoc permittere? vel parentibus maximè etiam pauperibus liceat ad lucrum conseruandam castrare filios suos? Ex p. 7. tr. 7. Res. 64. aliàs 63.

§. 1. **R**espondeo certum esse ipsis inuitis non posse, quia vt supra vsum est domini non habet dominium in membra seruorum: ideo difficultas est, si hoc licitum esset dominis ipsis seruis consentientibus: Et negatiue respondeo per ea quæ dixi in *part. 6. tract. 6. ref. 35.* vbi cum multis Doctõribus probaui, non esse licitũ seipsum castrare pro conseruanda voce. Quæ sententiam nouissimè docet, nunquam satis laudatus Doctõssimus & Eminentissimus Cardinalis de Lugo de *inst. tom. 1. disp. 10. sect. 1. n. 23.* vbi sic ait: Dubitatur secundò an liceat alicui ad vocis suauitatem conseruandam, qua reditus sibi in vitam totam, & lucrum comparare possit, permittere, quod castratur, vel parentibus etiam maximè pauperibus, liceat ad hunc finem filios proprios castrare: Affirmat Saloniũ in *presenti, quest. 65. art. 1. controu. 2.* quando id fiat sine vilo vitæ periculo, & de consensu illius, qui castratur. Alij tamen communiter id negant dum in vniuersum dicunt, solum ad vitam conseruandam licere membri abscissionem, & ideo latè id impugnat Tannerus 2. 2. *disp. 4. dub. 5. num. 101.* quod videtur omnino verum: quia si ob alias causas, vel vtilitates, præterquam ob vitam vel sanitatẽ corporis tuendam, hæc mutilatio liceret, cõsequenter id posset admitti, quando Princeps noller in Palatio intimos famulos habere, nisi Eunuchos, vt olim si bas, & hodie obseruatur in aula Imperatoris Sinatum. Possent enim aliquis ad hunc gradum honoris cõsequendum cum animi alacritate id pati, imò si alius famulos elingues habere vellet, liceret eis linguam sibi abscindere, vt habiles fieret ad obsequiũ Principis. Vnde multo magis videretur licere ob vtilitatem spirituales, quæ plus faciendã est, quàm lucrum temporale, nempe vt facilius tentationes carnis vincerentur, vt securius cum feminis conuersari posset, vel earum spirituales curam suscipere, maximè quando ex hoc lucrum etiam temporale consequeretur ad vitam sustentandam: quæ omnia certè sine absurdo concedi nõ possunt. Et quidem de vtilitate spirituali, & ad se perãdas carnis tentationes constat id non licere ex decretis Ecclesiasticis suprà citatis, quia ad eum finem non est necessarium tale medium: ex quo à fortiori colligitur, nec ad alias vtilitates inferioris ordinis licere adhibere tale medium nisi ad summum in necessitate extrema, quando ad vitandam mortem ob famem, vel necessitatem imminentem, necessarium esset illud remediũ, vt haberet aliquis victum necessariũ, alioquin fame moriturus, qui casus est moraliter impossibilis. Ita Eminentissimus Cardinalis de Lugo, & ego.

Quæ nunc est in tom. 1. tr. 7. Res. 130 §. vlt. & latè in tom. 8. tr. 5. Res. 85. 59 & 60. & in tom. 6. tr. 1. Res. 118 §. Nota. h c & in ro. 9. tr. 1. Res. 107. §. Denique.

## RESOL. LXVII.

*An Dominus teneatur resarcire damnum à seruis illatum?*  
Et an ista obligatio liget in foro conscientia, vel solum post iudicis condemnationem? Ex p. 7. tr. 7. Res. 74. aliàs 73.

§. 1. **R**espondeo quod cõpetit actio aduersus Dominum mancipij ob damnum à mancipio culpabiliter illatũ absque domini culpa, vt habetur in *titulo Insti. & Dig. de noxialibus actionibus*, (si enim culpa Domini illatum fuit, tenebitur Dominus aliquid de ex iniusta læsione ad totum damnum) & tunc Dominus debet, vel damnum soluere, vel mancipium pro nexa dare, damnum passo. Dixi ob damnum à mancipio culpabiliter illatum: quia si absque vlla eius culpa fuit, sicut mancipium ad nihil tenetur, ita nec dominus, nisi in quantum ex damno illo factus est locupletior: si autem aduersus mancipium criminaliter agatur ad eum puniendum, non potest dominus

Sup. hoc in tom. 8. tr. 5. ex Res. 89. in *lege doctrinam §. penult.*